

20

QVERELA  
DE  
PERNICIOSISS.  
MUNDI HUIUS IM-  
MUNDISSIMI INGRATI-  
TUDINE  
SCRIPTA

â  
Christophoro Canabæo  
Nimicensi Silesio,  
THEOLOGIAE STUDIOSO.

\* \*  
\*

ANNO

VICTORIA MEA FIDES  
VERA ERIT.



---

Olsnæ Sil.

TYPIS BÖSSEMESSERIANIS.

VIRIS

*Reverendâ dignitate, Erudita Autoritate, Vitæ  
integritate, clarissimis, præstantissimis, pbatissimis.*

DOMINIS.

Dño. M. Johan: Buchwaldero Superattend.  
Ecclesiæ Strelensis' fidelissimo.

Dño. M. Adamo Freudenhammer Ecclesiæ  
Falckenbergensis Superattendenti optatissimo.

Dño. M. Nicolao Anthero Pastori in Lewen  
Laudatissimo.

Dño. Paulo Breslero Orthodoxę religionis  
in Nimpfch adfertori Achilleo.

Dñ. Georgio Bucher Vineæ Christi in Olaw  
propagatori ut fidissimo sic dignissimo.

Dño. Bartholomeo Nigrino Verbum Verbi  
docenti in Banckau emeritissimo.

Dño. Johanni Hübnero Diacono in Strelen  
Laudatissimo.

Dño. Georgio Sturmio Pastori in Ruppers-  
dorff Ecclesiæ fidissimo.


Dn. Christoph: Ridelio Ministro in Deiskrau  
fidelissimo imò optatissimo.

Dn. Melch: Zimmermanno fidelium Christi  
in Pogrell docenti fidelissimo.

*DOMINIS Mæcenatibus, Favitoribus &*

*Patronis suis plurimum colendis,*

*Obfert, Dedicat, Dicat.*



## Querela.

**U**nde precor lachrymas, nunc funde Thales  
querelas, (cor.  
Crimina Mundicolūm precine mæsta præ-  
Et vos, salvificæ quos tangit cura salutis,  
Auribus adripite hæc carmina mæsta piis.  
Tristia de ingrato cantamus carmina mundo,  
Quæ mæstis dixit mæstus APOLLO sonis.  
Adripite ergò. Stylus nec vos remoretur agrestis,  
Carmina Christicolis sunt relegenda viris.  
Cum DEUS omnipotens rutili fabricator Olympi  
Conderet artifici cuncta creata manu,  
Quæ cælum servat, quæ tellus continet almâ,  
Primævum hinc tenui pulvere fingit Adam,  
Non bene vivit, ait, juvenis sic calibe vita,  
Lumina & ipsius fessa sopore gravat.  
Ipsius occlusum reseret latus, eruta septis,  
Fingitur artificis, casta puella manu.  
Hanc primus pulchro adducit Paranympus ADAMO,  
Omnia & ipsorum subjicit imperio.  
Quas tellus fruges profert, quos æquora pisces  
Protrudunt, quas fert agmine sidus aves.

Hos

Hos ubi Plasmator post tempora pauca revisit,  
Plasmatis & mores visitat inde sui.  
Pollutos reperit primævos labe parentes,  
Quos Satan astutâ fraude fefellit atrox.  
Non lapsum justâ genus hoc disperdit in irâ,  
Non hominem rejicit, nobile, Factor, opus.  
Sed lapsos placidè verbis solatur amicis,  
Salvificam spondens ferre rogatus opem:  
His justè mittit doctores ordine Vates,  
Qui de salvificâ multa Salute canunt.  
Qui de venturo prædicunt semine SILOH,  
Quod sit fracturus triste Draconis opus.  
Stilligerâ CHRISTUS descendit ab arce REDEMTOR,  
Pro primi, ut fiat victima, labe patris.  
Adsumit nostram mirando fœdere massam,  
Ceu pater ut clemens nos sua membra tegat,  
Erigit hos orco Ditis tellure Sepultos,  
Ad cæli reserat Sydera clara viam,  
Æterni tradit cælestia dogmata patris,  
Ad cælos ducens discitur undè via.  
Discipulos donat, conscendens astra fideles,  
Qui sanctum fidei ritè tuentur opus.  
Pro tanto ingratum quid præstet munere vulgus,  
Undiq; Christicolis cernere in orbe licet:  
Horrendâ æternum blasphemat voce parentem,  
Fundit in autorem Scommata, probra vomit.  
Morda-

Mordaci ipsius proscindit dogmata lingua,  
Viventis violat jussa verenda λόγος!  
Adripit ipsius titulum, sed dogma relinquit,  
Extinguit verum: deteriora probat:  
Illius capiti maledicit, muscat in illum,  
Ipsius & verbo bella cruenta parat.  
Per CHRISTI jurat transfixi corpora sancta,  
Et sacram vano polluit ore crucem.  
Occidit vates, doctores ense trucidat,  
Comburit sanctos, igne cremante, viros,  
Erigit & statuas, Idola prophana, colendas,  
Thyrfigeri Bacchi lubrica festa colit.  
In summa, nihil est pietatis in orbe super nunc,  
Quod fuit ante decus, nunc pudor esse solet.  
Immoderata placet talis vesania Mundo,  
Qua Thejades ledit Numina summa sacra.  
Gloriam habet primam, qui scit maledicere Christo,  
Pro vero qui scit falsa docere, placet.  
Illuc res rediit, quod nunc divina fugantur  
Dogmata: nunc Mahometh Sanctio falsa placet.  
Religio antiquam speciem non continet ultra,  
Verum Antichristi felle subacta perit.  
Nemo est qui fidei tractet mysteria sacra,  
Luxuria, ventri, turba soluta studet.  
Plus curant homines vani ludibria mundi,  
Plus curant foedas corporis illecebras.

Luce

Luce sacrâ CHRISTI cum sit doctrina docenda,  
Luxuriæ indulgent: Sabbata festa madent.  
Nulla fides inter fratres, concordia nulla,  
Falsus amor fallit credula corda boni.  
Heu patrem natus, nunc matrem filia fallit,  
Nunc firmum nullum pignus amicitiae.  
Invasit totum turpis fallacia Mundum.  
Cui verè fidas, nullus in orbe manet.  
Spernuntur miseri, dives modò summus habetur,  
Ridetur solus pauper ubiq; jacens.  
Propterea adproperant pestes, discrimina multa,  
In nostrum quæ sunt mox ruitura caput.  
Propterea patimur permagna pericula mœsti,  
Non impunè DEUS crimina abire sinit.  
Dic homo célestem qualem legis esse parentem?  
Quem solio tentas præcipitare suo,  
Te DEUS ad pœnas, cum non sperabis, amaras  
Trudet, & horrendo fulgure concutiet.  
O homo si scires passim grassantia damna,  
Percuterit tremulum cor Methanæa tuum,  
Expeteres veniam, fleres delicta patrata,  
Non roseo ornares tempora flore tua.  
O quid stultè juvat tam pravam degere vitam,  
Reddenda est ratio judicis ante thronum:  
Cum differt pœnas CHRISTUS, non tollit, acerbas,  
Cum veniet: gravius puniet omne nefas.

Emen-

Emenda mores, viciosam corrige vitam,  
Atra venit tacito Mors metuenda pede.  
Jamjam pœniteat, non hoc malè differ in horas,  
Cum latitat quando judicis hora venit.  
Sera nimis vita est, cunctatio crastina sera est,  
Rectè hodiè vives, cras minus aptus eris.  
Incipe célestes hodiè tibi quærere sedes,  
Crastina decipiet te, mihi crede, dies.

τῷ θεῷ μόνῳ δόξα.

505

*[Faint, mirrored text bleed-through from the reverse side of the page, including words like 'Christophorum', 'A. N. O.', and 'In vespere']*

*[Decorative border on the right edge of the page]*





Elenchus contentorum.

Bismarckii vita et res gesta theologorum orthodoxorum recens.

MUSNERI Fides Jobi.

concilium oecumenicum octavianum.

ULB Halle

003 509 435




3

5le

V. 17.







20

QVERELA  
DE  
PERNICIOSISS.<sup>A</sup>  
MUNDI HUIUS IM-  
MUNDISSIMI INGRATI-  
TUDINE  
SCRIPTA  
â  
Christophoro Canabæo  
Nimicensi Silesio,  
THEOLOGIAE STUDIOSO.  
\* \*  
ANNO  
VICtorla Mea fI Des  
Vera erlt.  
—  
Olsnæ Sil.  
TYPIS BÖSSEMESSERIANIS.

